



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1631

In Ascensionis Dominicæ festiuitate, Paraphrasin in Epistolam, & Exegesin
in Euangelium cum suo sermone, quære in tomo secundo de Sanctis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

mina vestra in libro vite. Quod nobis omnibus largiatur Dei Filius Dominus noster Iesus Christus in secula benedictus, Amen.

PARAPHRASIN IN EPISTOLAM ET EXEGESIN in Euangelium in festiuitate Ascensionis Domini, cum suo Sermone require in secundo Tomo de festiuitatibus Sanctorum, in vtraque parte.

DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI, Epistola prima Petri quarto.

Prou. 10.
Iacob. 1.

Esote prudentes, & vigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuum in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitalis inuicem sine mururatione. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrans, sicut boni dispensatores multiformis gratie Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus, per Iesum Christum.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

1. Petri 4.
& 5.

Rom. 12.

Lucæ 12.

Psal. 126.

Psal. 90.

Collo. 3.

Postquam præmonerat eos, qui luxurijs & peccatis operam dant, Petrus Apostolus, deterere eos cupiens à vitijs, per expectationem diuini iudicij, quod futurum est in nouissimo die, quo reddent rationem operum suorum, nihilominus credentes monet nunc vigilare, prospicereque, quod rectè, inculcateque viuant, quando quidem incerti sunt, quando viuendi terminus illis sit imponendus. Quamobrem cum Dominus pulsauerit, quacunque hora veniens, illos inueniat oportet vigilantes, & qui pulsanti confestim aperiant, paratique occurrant. Dicit igitur: Esote prudentes, cognoscentes, cauentesque pericula tentationum ex carne & mundo, insidiasque diaboli intelligentes: quas quomodo elabi, aut vincere studeatis, vestra sit meditatio. Et vigilate omni hora hostium tentamenta suspecta habentes. Nectantum opus est vt vigiletis, sed vt vigiletis etiam in orationibus. Prudentia enim & vigilia vestra ad hoc quamuis sit necessaria, ne ab inimicis capiamini, non tamen sufficit, nisi adiutorium etiam vobis adit diuinum. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Idecirco vigilate in orationibus, vt habitetis in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cæli commoremur, quem inuocatis. Ante omnia præcipue mutuum in vobismetipsis charitatem continuam ac indeficientem habentes. Absque enim obseruatione charitatis nihil prodest, quicquid aliud exercebitis, aut quaeritis ad salutem. Hoc modo Paulus quoque monet, dicens: Super omnia charitatem habere, quod est vinculum perfectionis. Hæc enim operit multitudinem peccatorum, vt vbi illa à Deo infusa fuerit, ibi recedat necessitas est mor-